This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LD
9
25

Li 9.25

Harvard College Library

FROM

The University of Jena.

2 March, 1892.

Digitized by Google

Li 9. 25

DE
IVLIANO TOLETANO.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

IENENSIVM PHILOSOPHORVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

RVDOLPHVS HANOW

ZVLLICHAVIENSIS.

IENAE A. CIↃIↃCCCLXXXXI.

TYPIS DESCR. HERM. HAMPEL ZVLLICHAV.

Digitized by Google

Li 9.25

HARVARD COLLEGE
MAR 2 1892
LIBRARY.

Univ. of Jena.

Digitized by Google

PARENTIBVS · OPTVMIS

S

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

IVLIANI episcopi TOLETANI uiri doctissimi multumque in litteris uersati, qui exeunte saeculo septimo florebat, artem grammaticam, poeticam et rhetoricam, postquam primus Franciscus de Lorenzana cardinalis Romae a. CIↃIↃCCLXXXXVII edidit*), nostro demum saeculo diligentius tractauerunt Henricus Keilius (Grammatic. lat. V pag. 317—324) et Hermannus Hagenus (Anecdot. Heluet. p. CCIV—CCXXXIX). Quorum prior in excerptis quae dicunt afferendis secutus est editionem a Lorenzana factam, quae fluxit e codice Vaticano biblioth. Palatinae 1746, alter codicem Bernensem numero 207 signatum adhibuit neque omisit quaerere quaenam intercederet ratio inter utriusque libri lectionem. Atque satis arcta necessitate utrumque codicem coniunctum inter se esse facile cognouit Hagenus, quam necessitatem in hunc fere modum descripsit, ut artis Romanae scriptorem — quem breuiter Iuliani nomine significat — Iulianum igitur artigraphum

*) quem librum rarissimum, postquam frustra uel e beatissimis bibliothecarum germanicarum thesauris elicere temptaui, eximiae debui comitati Henrici Keilii uiri cum in litterarum studiis augendis mea laude maioris tum liberalitate insignis.

Digitized by Google

usum esse artigrapho Bernensi uel arte grammatica Bernensis codicis statueret.

Qua in re equidem ultra fines a uiro doctissimo constitutos progrediendum ratus tantam similitudinem mihi uideor obseruasse, ut non alterum artigraphum, sed alterum eiusdem artis codicem putem me comprehendisse. Huc accedit quod ab Hageno neglectum uides quaerere e communi quodam fonte maiore fluxeritne utriusque libri lectio, cum statueret aut artigraphum Bernensem usum fuisse Iuliano aut hunc illo. Quorum alterum, Bernensem uti non potuisse Iuliano, quamuis praeclare docuisse mihi uideatur Hagenus, ut nulla iam relicta sit dubitatio, tamen alterum dubito an parum recte statuerit, quod Iulianum Bernensi usum esse uoluit. Itaque conferre placuit editionis Romanae lectionem cum codice Bernensi, quibus collatis aliam eamque nouam rationem esse ineundam statim opinor uidebis. Legas uelim utriusque libri disputationes infra uno in conspectu positas.

Digitized by Google

I.

Quae ratio intercedat inter editionis Romanae lectionem et codicem Bernensem.

§ 1.

Vaticanum minime pendere e Bernensi.

Lorenzanae p. LXVIII
(cod. Vat.)

Genitiuus cur dictus? A genere quaerendo uel cuiuslibet rem significando. Quomodo a genere quaerendo? ut puta si interroget me quis cuius filius est Aetherius? respondeo illi per genitiuum casum 'ioannis'. Quo modo uel cuius libet rem significando? puta si interroges me 'cuius equus?' respondeo tibi per genitiuum casum: 'domni Eruigii regis'.

Hageni p. CCVII
(cod. Bernens.)

Genitiuus cur dictus est? a genere querendo uel cuiuslibet rem significando, quia per eum genus cuiuscumque notamus uel rem significamus, ut puta huius magistri filius, huius magistri domus.

Bernensis omittit uerba inde ab *ut puta si interrogat* usque ad *quomodo*, addit uero *quia per eum genus cuiuscumque notamus*. — Adnotandum est, id quod saepius fieri statim uidebimus, exemplum afferri in Bernensi communis generis, ut *magistri*, cum Vaticanus certum quoddam nomen praebeat. Vnde apparet hoc in loco Bernensem in uniuersum breuiorem esse, uno autem loco plura praebere Vaticano.

Lorenzanae p. LXV
(cod. Vat.)

Da nomen quod qualitatem significet et comparetur. Sanctus

Hageni p. CCV
(cod. Bernens.)

Da nomen quod qualitatem significet et comparetur. Sanctus

Digitized by Google

sanctior sanctissimus. Da quod quantitatem significet et comparetur. Grandis grandior grandissimus. Da quod qualitatem et quantitatem significet et non comparetur. Perfectus. Quare non comparatur? Ille dicitur perfectus, qui nihil de suo artificio indiget. iam si dixero perfectior, mentivi de illo priore, quia adhuc minus habet de artificio suo. Quo modo significat qualitatem et quantitatem? Vt puta si dicas mihi 'quid scit Audax?' dico 'grammaticus est'. dicis mihi 'quomodo illut scit?' dico 'perfectus est'. ecce qualitas. item interrogat me dicens 'scis tu illum?' 'scio'. Dicit mihi 'quam magnus est aetate?' dico 'perfectus homo est'. ecce quantitas. (Keil. p. 318.)

sanctior sanctissimus. Da quod quantitatem significet et comparetur. Grandis grandior grandissimus. Da quod qualitatem et quantitatem significet et non comparetur. Perfectus. Quare non comparatur? Ille dicitur perfectus, qui nihil indiget perfectionis, dum per se naturaliter plenum est. iam si dixero perfectior perfectissimus accepta conparatione incipit esse non plenum. Qualitatem ut bonus malus. Qualitas quare dicta? Quia per eam qualis quisque sit ostenditur, ut bonus malus. Fac inde conparationem etc.

Bernensis omittit uerba quae sunt *de suo artificio,* quorum in locum substituit locutionem quandam ad intellegendum faciliorem. Idem fit in insequentibus uerbis. Neque haec solum omittuntur, uerum etiam exemplum quo quid sit qualitas comprobetur *quid scit Audax?* apud Bernensem deest. Elucet igitur Bernensem pauciora praebere quam Vaticanum.

Lorenzanae p. XCVI
(cod. Vat.)

Vocandi, ut heus. Quomodo? Sic antea consuetudo fuit vocandi, quando unus vocabat alterum, ut diceret 'heus, heu': unde scribitur: 'heus tu, in quanam parte est hic homo Dei?'

Hageni p. CCXXVI
(cod. Bernens.)

Vocandi, ut eus. 'Eus tu, inquit, quanam in parte est hic homo dei?'

Digitized by Google

Hoc loco Vaticanum plura praebere Bernensi statim apparet, ita ut me quidem iudice ille ab ipso fonte minore spatio absit.

Lorenzanae p. LXV seq.
(cod. Vat.)

Comparatiuus gradus cui casui seruit? Ablatiuo sine praepositione: dicimus enim 'doctior illo'. Quomodo ablatiuo sine praepositione? Puta, si dicam contra regulam cum praepositione 'doctior Virgilius a Catone', ostendo ut, quod Virgilius scit, a Catone hoc didicisset: nam si dixero secundum regulam sine praepositione 'doctior Cato Virgilio', ostendo Catonem plus scire de Virgilio. Ipse comparatiuus gradus quibus casibus deseruit? Tribus. Quibus? Sexto, septimo et nominatiuo interposita 'quam'. Quomodo? Vt puta, si dicam cum praepositione 'doctior Plato ab Aristotele', est sextus casus. Si dico sine praepositione 'doctiore magistro utor', est septimus casus. 'Stoico doctior Esidorus quam Antonius', tunc deseruit nominatiuo interposita 'quam'.

Hageni p. CCXXI
(cod. Bernens.)

Conparatiuus gradus cui casui seruit? Ablatiuo sine praepositione. Dicimus enim 'doctior illo'. Quomodo? Puta si dicam contra regulam cum praepositione: 'doctior Trasemirus a Petro', ostendo illud, quod Trasemirus scit, a Petro didicisse. Iam si dixero secundum regulam sine praepositione: 'doctior Petro Trasemirus', ostendo Trasemirum plus scire de Petro. Ipse conparatiuus gradus quibus casibus seruit? Tribus. Quibus? Sexto septimo et nominatiuo interposita 'quam'. Quando seruit sexto? Quando dixero cum praepositione: 'doctior Trasemirus a Petro.' Quando septimo? Quando dixero secundum regulam sine praepositione: 'doctior Trasemirus Petro.'

Quae affert Vaticanus nomina certe propius ad originem accedunt quam quae a Bernensi afferuntur, ut usitatiora opinor discipulis. In ceteris quoque discrepantiae quaedam sunt, uelut Bernensis exemplum quo illustretur *interposita quam* omittit. Exemplum uero a Vaticano allatum *doctiore magistro utor* plane ineptum est. In uniuersum igitur si spectas a Vaticano superatur doctrinae copia Bernensis.

Digitized by Google

Lorenzanae p. LXIV
(cod. Vat.)

Quare dicta est comparatio? Quasi existimatio, eo quod comparando unum alteri praeferamus, id est seniorem iuniori. Quomodo? Ut puta, si stent mecum tres et ego quartus, uenit quis et dicit mihi: 'Isti quid sunt?' Dico illi: 'Notarii sunt'. Dicit mihi: 'Quomodo hoc sciunt?' Dico illi: 'Docti sunt.' Dum dico 'Docti sunt' ostendo illos aequales esse. Dicit mihi: 'Tamen quis melius ab istis hoc scit?' Respondeo illi, puta: 'Doctus est Cato, doctior Virgilius, doctissimus Donatus.' Dum dico 'Doctus Cato', ostendo illum aliquid scire. Dum dico 'Doctior Virgilius', ostendo eum plus scire de Catone. Dum dico 'Doctissimus Donatus', ostendo eum plus scire a Virgilio et a Catone. Et quot gradus sunt in comparatione? Tres. Qui? Positiuus, comparatiuus, superlatiuus. Positiuus plures formas habet. Exit in us ut doctus.....) Tantum modo ipsi tres apud ueteres habebantur. Et quartus quomodo dicebatur? Praelatiuus. Quomodo faciebant ipsam comparationem? Positiuus, ut 'doctus'; comparatiuus 'tam doctus'; praelatiuus, ut 'doctior'; superlatiuus, ut 'doctissimus'. Quare hoc ita*

*) lineas XIII consulto omisi.

Hageni p. CCXX
(cod. Bernens.)

Quare dicta conparatio? Quasi existimatio, eo quod conparando unum alteri ex conlatione alterius praeferatur senior iuniori. Quomodo? Puta: stant mecum tres, uenit quidam et dicit mihi: 'qui sunt isti?' Dico: 'Careto Fronto et Seruandus.' Dicit mihi: 'quid sciunt?' Dico: 'notarii sunt.' Quomodo hoc sciunt? Docti sunt. Dum dico 'docti sunt', ostendo eos aequales esse. Dicit mihi: 'nullus melior ab istis?' Dico: 'doctus est Careto, doctior Fronto et doctissimus Seruandus': Dum dico 'doctus est', ostendo illum aliquid scire; dum dico 'doctior', ostendo illum plus scire de docto; dum dico 'doctissimus', ostendo illum plus scire de docto et doctiore. Et quot gradus sunt in conparatione? Tres. Qui? Positiuus conparatiuus et superlativus. Tantundem ipsi tres? Aput ueteres habebatur et quartus. Quomodo dicebatur? Praelatiuus. Quomodo faciebant ipsam conparationem? Positiuus, ut doctus, conparatiuus tam doctus, praelatiuus doctior, superlatiuus doctissimus. Quare hoc faciebant? Dicentes: 'unusquisque quantum dat, tantum debet emere' ideo similem faciebant.

Digitized by Google

faciebant? Dicentes: 'unusquisque quantum dat, tantum debet emere'. Ideo faciebant comparatiuum similem positiuo; nescientes, quod illud 'tam' aduerbium erat comparantis, quod in se habet significationem augentis. Quid ibi faciebant? Vitium. Quale uitium? Tautologia. Quid est tautologia? Eiusdem dicti repetitio uitiosa, ut 'egomet ipse'. Nam quod dicebant 'tam doctus' et 'doctior', tamquam si dicerent 'doctior'.

conparationem positiuo, nescientes quod illud 'tam' aduerbium est conparantis, quod habet in se significationem augentis. Quid ibi faciebant? Vitium. Quale uitium? Tautologia. Quid est tautologia? Eiusdem dicti repetitio uitiosa, ut 'egomet' 'ipsemet'. Quomodo dicebant 'egomet' 'ipsemet'? Tamquam si dicerent 'ego ego' 'ipse ipse'. Et quomodo dicebant 'tam doctus' et 'doctior'? Tamquam si dicerent 'doctior doctior'.

Vaticanus cum ampliorem lectionem praebet Bernensi tum quae affert exempla ea certis quibusdam nominibus additis illustrat.

Lorenzanae p. CIII
(cod. Vat.)

'Aut' est coniunctio, est aduerbium: quando pronomen fuerit positiuum (sic), *ut puta 'coruus haud procul residens', id est non longe, erit aduerbium negandi et cum aspiratione scribendum: quando dixero 'aut ego aut tu', erit coniunctio disiunctiuae potestatis et sine aspiratione scribendum. 'Ve' est coniunctio, est et praepositio: quando fuerit praepositiuum et commotione animi dictum, ut puta: 'uae mihi mater mea', erit interiectio dolentis: quando fuerit subiunctiuum, ut puta: 'setisue tectus hispida et lanugine', erit coniunctio. 'Vel' semper coniunctio est. 'Ne' interdum coniunctio est,*

Hageni p. CCXXVIII
(cod. Bernens.)

'Aut' est coniunctio aut aduerbium. Quando pro 'non' fuerit positum, ut puta 'Coruus haut procul residens' idest 'non longe', erit aduerbium negandi et cum adspiratione scribendum. Quando dixero 'aut ego aut tu', erit coniunctio disiunctiuae potestatis et sine adspiratione scribendum. 'Ve' est coniunctio, est praepositio, est et interiectio. Quomodo? Quando fuerit praepositiuum et cum commotione animi fuerit dictum, ut puta: 'Ve mihi, mater mea!' erit interiectio dolentis. Quando subiunctiuum, ut puta: 'Setisue tectus hispida et lanugine', erit coniunctio. 'Vel' semper coniunctio est. Quomodo?

Digitized by Google

interdum aduerbium. Quando praepositiuum fuerit, ut puta 'ne facias omne malum', erit aduerbium prohibentis: quando subiunctiuum fuerit, ut puta 'tantane uos tenuit generis fiducia uestri?' erit coniunctio. 'Nec, neque' semper coniunctiones sunt. Quare disiunctiuae? Quia unum e duobus aliquid agere ostendunt. 'Aut' quomodo? 'Aut ego aut tu eamus ad forum.' 'Ve' quomodo? 'Setisue tectus hispida et lanugine'. 'Vel' quomodo? 'Tu si non uadis illuc, uel ego uadam.' 'Ne' quomodo? 'Putasne, bene irasceris super hederam?' 'Si tu non uadis illuc uel ego uadam.' 'Ne' semper coniunctio est an non? Interdum coniunctio, interdum aduerbium est. Quomodo? Quando praepositiuum fuerit, ut puta: 'ne facias omne malum,' erit aduerbium prohibentis, quando subiunctiuum fuerit, ut puta: 'Tantane uos tenuit generis fiducia uestri?' et iterum: 'Putasne bene irasceris super hederam istam?' erit coniunctio.

In his lectionum diuersitates extant non paucae. Primum apud Vaticanum *est* in *aut*, deinde *pronomen positiuum* sana ratione carens in *pro 'non' fuerit positum* corrigendum esse puto. Tum omisit Vaticanus *et interiectio* et *cum* ante uocabulum *commotione*. Postremum omissum est exemplum quod addendum fuit uocabulo *uel*, quod infra tandem legitur. Ex quo apparet et rerum sententiarumque ordinem in Vaticano esse turbatum et lacunis a Bernensi medelam afferri; altera ex parte in Bernensi omissae sunt coniunctiones *nec* et *neque*, quae nullo modo deesse debent, et exemplum quod est *aut ego aut tu* in Vaticano plenius affertur quam in Bernensi. Modo igitur hic modo ille alteri praestat, certissime autem euincitur neutrum ex altero pendere.

§ 2.

Nec Bernensem Vaticano neque hunc illo fuisse usum.

Lorenzanae p. XCVI (cod. Vat.)

Hageni p. CCXXVI (cod. Bernens.)

DE ADVERBIO.

Quare dicit 'secum est'? Quia qui aliis prope fit, et secum est

Quare dicitur 'secum est'? Quia, qui aliis prodest, et secum

Digitized by Google

et cum aliis. Qui tantum tibi, secum est, non cum aliis. Da eius exemplum. Quia qui aliis prope esse non potuit, saltem is secum fit.

est et cum aliis, qui autem sibi proficit, tantum secum est. Da eius exemplum. 'Qui aliis prodesse non potuit, saltim secum fuit.'

Non cum aliis, quod legimus in Vaticano, certe glossema est, itemque *quia* superuacaneum esse puto. Ceterum Vaticanus a Bernensi corrigitur ita ut legatur *dicitur* et *sibi* pro *dicit* et *tibi.* Meliorem igitur lectionem Bernensis exhibet Vaticano.

Lorenzanae p. LXXVII seq.
(*cod. Vat.*)

Vnde et dicit: 'in quis error inest, nec spes est certa laborum'. Et pro eo quod veteres faciebant ablatiuum in i 'a qui', facimus genitiuum pluralem in ium 'quium', datiuum et ablatiuum in 'bus': 'quibus das' et 'a quibus tulisti?' Et unde colligebant ueteres regulam? A datiuo casu singulari. Quomodo? Quando illis datiuus casus singularis 'i' littera terminabatur, faciebant datiuum et ablatiuum plurales in 'bus': 'Quibus das et a quibus tulisti?' Cur Donatus ueterem locutionem usitatus est? Propter absurditatem et usitatem locutionis, quia dicit quis: 'sic noua tenere debemus, ne uetera praetermittamus': et Donatus hanc regulam obseruans, quia secundum quod ablatiuus singularis 'o' litera terminatur, datiuus et ablatiuus plurales in locutione plus absurditant, quam ornate

Hageni p. CCXXIV
(*cod. Bernens.*)

Da eius exemplum. 'In quis error inest nec spes est certa laborum.' Et pro eo, quod ueteres faciebant ablatiuum singularem in i 'a qui', facimus genitiuum pluralem in ium 'quium', datiuum et ablatiuum plurales in bus: 'quibus das' et 'a quibus tulisti'. Ista regula nominatiuum singularem in quid mittit? In es: 'ques'. Cur Donatus ueterem locutionem usitatus est? Vt absurditas datiui et ablatiui casus, quam in pronuntiatione retinet, demeretur et ornatus locutionis induceretur, et quia ex prudentibus quidam dicit: 'sic noua tenere debemus, ne uetera praetermittamus': ideo utramque secutus est regulam propter eufoniam.

Digitized by Google

pronunciari uidentur, propter euphoniam ueterem obsequutus est regulam.

Cum in prioribus uerbis Vaticanus et Bernensis inter se congruant, in sequentibus modo hic modo ille plura altero affert, in extremis uero uerbis Bernensis lectio mirum quendam in modum in breue est redacta. Neque igitur Vaticanum Bernensi neque Bernensem Vaticano usum fuisse puto.

Lorenzanae p. CII
(*cod. Vat.*)

'Atque' quomodo? 'Atque ut pro me orare iubeas.' 'Ac' quomodo? 'Ac de re tacitus angit et corde requirit.' 'Ast' quomodo? 'Ast hominem non terra parit, non pontus ab undis.'

Hageni p. CCXXVII
(*cod. Bernens.*)

'Atque' quomodo? 'Atque ut pro me orare iubeas indesinenter postulo.' 'Ac' quomodo? 'Ac de re tacitus angit et corde requirit'. 'Ast' quomodo? 'Ast hominem non terra parit, non pontus ab undis.'

In aperto sane est Vaticani lectionem a Bernensi corrigi, quae autem in Vaticano desiderantur, ea scriptoris culpa abesse. Itaque ex ea re quod multa desunt non est cur alterum ex altero codice pendere statuamus.

Lorenzanae p. LXVI seq.
(*cod. Vat.*)

'Genera' quare dicta? A gignendo, eo quod de masculino et feminino oriuntur ista alia genera. Si genera a gignendo dicta, neutrum et commune, quod nec gignit nec gignitur, cur dictum est genus? Quantum ad rationem pertinet, illa debent dici genera, quae et gignunt et gignuntur; ista uero, quae nec gignunt nec gignuntur, usurpatiue dicta sunt genera, non proprie. Quae sunt 'genera prin-

Hageni p. CCV
(*cod. Bernens.*)

Genera quae dicta? A gignendo, eo quod de masculino et feminino oriantur ista alia genera. Si genera a gignendo dicta, neutrum et commune, quod nec gignit nec gignitur, cur dictum est genus? Quantum ad rationem pertinet, illa debentur dici genera, puae et gignunt et gignuntur; ista uero usurpatiue dicta sunt genera, non proprie. Quae? neutrum et commune. Quae sunt principalia genera?

Digitized by Google

cipalia'? Masculinum et femininum. Quare dicta 'principalia'? Quia ex ipsis oriuntur ista alia genera et ipsa sola sunt. Quare dicta 'principalia' uel 'sola' genera? 'Principalia' dicta, quia neutrum et commune ex ipsis oriuntur; 'sola', quia ipsa tantum gignunt et gignuntur. Tota genera naturalia sunt an sunt ex arte descendentia? Sunt naturalia, sunt ex arte descendentia. Quae sunt 'naturalia'? Cuius personam considerare possumus, ut aut masculinum sit aut femininum. Quae sunt 'ex arte descendentia'? Cuius naturam considerare non possumus, ut est petra terra lignum et cetera. Quid ibidem faciendum est? Auctoritas maiorum quaerenda est. Et ubi auctoritas maiorum genus tibi non demonstrauerit, quid ibi faciendum est? Scripsit Varro ad Ciceronem: 'potestatis nostrae est illis rebus dare genera, quae a natura genus non habent.' Vbi discernis ista genera? In articulis. Quo modo? Quando dico hic, pro masculino dico; quando dico haec, pro feminino dico; quando dico hoc, pro neutro dico; quando dico hic et haec, pro communi dico; quando dico hic et haec et hoc, pro omni genere dico. (Keil. p. 318.)

Masculinum et femininum. Quare dicta principalia? quia neutrum et commune de utroque nascuntur. Tota genera naturalia sunt aut sunt ex arte descendentia. Quae sunt naturalia? Cuius naturam considerare possumus ut masculus femina. Quae sunt ex arte descendentia? Cuius naturam considerare non possumus ut petra terra paries. Et ubi natura uel ars genus non demonstrauerit, quid faciendum est? Auctoritas maiorum quaerenda est. Et ubi auctoritas maiorum defuerit, quid faciendum est? Scribsit Varro ad Ciceronem 'potestatis nostrae est illis rebus dare genera, quae ex natura genus non habent, secundum qualitatem locutionis similis quaerenda est oratio et sicut placitum nobis manet, dicitur unicuique nomen'. Vbi discernuntur ista genera? In articulis. Quomodo? Quando dico hic, masculini generis est, quando dico hec feminini, quando dico hoc neutri; quando hic et hec et hoc omnis.

Plus semel uides lectionem Romanam praestare Bernensi. Primum enim plura praebet ad *principalia* uerbis

Digitized by Google

additis *uel sola*, quae in posteris explicantur. Tum legimus in Romana *sunt naturalia, sunt ex arte descendentia*, quae uerba nullo modo deesse possunt, quippe quae in insequentibus explicentur, cum in Bernensi sint omissa. Huc accedit, quod totum illud enuntiatum inde ab his *quare dicta principalia* usque ad *sola sunt* a recto sensu abhorret, statim enim iteratur. Superuacaneum igitur habes glossema. Quae autem enumerantur in Romana uocabula *petra terra lignum* in medio abrumpuntur, cum Bernensis se abrumpere nolle simulans pro *lignum* ponat *paries* et re uera ipse quoque abrumpat. Contra post uocabulum *paries* plus legitur in Bernensi itemque supplementum quoddam ad locum e Varrone allatum.

Hoc igitur loco uterque codex modo hic modo ille plus minusue altero praebet.

Lorenzanae p. LXXX
(*cod. Vat.*)

'Quisquis': quis pronomen, quis similiter; ex duobus pronominibus unum est pronomen compositum. 'Quisnam': 'quis' pronomen est, 'nam' coniuntio est; et est compositum pronomen ex duobus integris. Quisnam masculini generis est aut feminini? Aput ueteres commune genus habebatur. Da eius exemplum. 'Quis nam es tu mulier, quae tam inconsueto nuncupas nomine.' 'Quispiam': 'Quis' pronomen est, 'piam' corruptum est; et est ex integro et corrupto unum pronomen compositum. Cuius generis est? Communis, 'quispiam uir', 'quispiam mulier', aliquid et cetera. (Keil. p. 319.)

Hageni p. CCVIII
(*cod. Bernens.*)

Quisquis cuius figurae est? Conpositae ex duobus integris pronominibus. Quisnam similiter. Quis pronomen est, nam coniunctio: ex duabus partibus unum effecitur pronomen compositum. Cuius generis est? Aput nos masculini: 'quisnam uir facis' et 'quaenam mulier'. Aput ueteres uero communis generis habebatur. Da eius exemplum. 'Quisnam es tu mulier quae me tam inconsueto nuncupas nomine.' Quispiam eiusdem. Quae figura est? Conposita: quis pronomen est, piam nomen est. Cuius generis est? Communis. Quomodo? 'quispiam uir' et 'quispiam mulier' et pro neutro 'quodpiam mancipium'.

Digitized by Google

Quomodo declinanda sunt ista pronomina conposita? Quando ex duobus nominatiuis conposita fuerint, ambo nominatiui inflectendi sunt, ut quisquis cuiuscuius etc., quando uero ex nominatiuo et quolibet alio casu conposita fuerint, ille nominatiuus erit tantum inflectendus, ut quispiam cuiuspiam etc.

Bernensis ampliorem lectionem praebet quam Vaticanus, quod saepe tractatum interrogando soluit, sed si ipsam rem spectauerimus, utrumque inter se in uniuersum congruere facile intellegemus. Nam Bernensis libri corruptelas per scribam illatas esse ueri est simillimum: contra *eiusdem* in ipsa scriptoris uerba irrepsisse puto. Fieri enim potuit ut in margine post *cuius generis* positum esset *eiusdem* per errorem lapsum aliam in lineam. Itemque uerba *aput nos masculini q. s.* glossema mihi uidentur praebere, nam priscis temporibus communis generis erat 'quisnam'. Non igitur est cur alterum altero usum fuisse putemus. Verbis *aliquid et cetera* in exemplis enumerandis finis fit in Vaticano, Bernensis uero, quamquam silentio tractatum abrumpit, tamen in proximis uerbis affert tractatum a codice Vaticano omissum. — Itaque modo hic modo ille codex pleniorem affert lectionem.

Lorenzanae p. LXXIV
(cod. Vat.)

Quomodo erit istud 'quae' scribendum? Quando appositiuum fuerit, si dicam 'quae anima', erit pronomen generis feminini et cum diphthongo scribendum. Quando subiunctiuum fuerit, ut si dicam 'loquutusque est dominus', erit coniunctio et sine diphthongo scribendum.

Hageni p. CCXXIII
(cod. Bernens.)

Istud 'quae' quomodo erit scribendum? Quando praepositiuum fuerit, ut puta: 'quae anima', erit pronomen et per diphthongon scribendum; quando uero subiunctiuum, ut puta: 'dixitque dominus', erit coniunctio et simpliciter scribendum.

Digitized by Google

Sine dubio uocabulum *appositiuum* corruptum est in codice Vaticano, qui idem meliorem lectionem affert quam Bernensis addito *generis feminini*. Ex quo elucet neque Vaticanum usum esse Bernensi, quippe qui plura praebeat, neque Bernensem usum esse Vaticano, cum hic meliorem lectionem uerbo *praepositiuum* afferat.

Lorenzanae p. LXXXII
(cod. Vat.)

Coniunctiuus modus cur dictus est? Eo quod coniungat sibi uerba indicatiui modi. Quo modo? Ut puta: 'cum legam, cur me tu dicis silere?' Vbi sunt ipsa uerba indicatiui modi? 'Dico dicis dicit' uerba sunt indicatiui modi, et quia dicitur 'eo quod propterea dicatur' coniunctiuus. Quare? 'Cum' particulam aduerbii adiunctam habet in capite. Si propterea diceretur coniunctiuus modus, ergo et optatiuus modus coniunctiuus deberetur dici.

Hageni p. CCXXV
(cod. Bernens.)

Coniunctiuus quur dicitur? Eo quod coniungit sibi uerba indicatiui modi. Quomodo? 'Quum legam, quur me tu dicis silere?' Vbi est ipsud uerbum indicatiui modi? 'Dico' 'dicis' uerba sunt indicatiui modi, quae implent loquutionem coniunctiui. Et quia dicunt aliqui, eo quod propterea dicatur coniunctiuus, quare 'cum' particulam uerbo coniunctam habet in capite, si propterea diceretur coniunctiuus, ergo et optatiuus coniunctiuus dici debebatur.

Bernensis omittit *ut puta*, qua uerborum coniunctione semper utuntur grammatici, itemque *dicit*. In Vaticano uero desiderantur uerba *quae inplent loquutionem coniunctiui* a Bernensi adhibita. Post *coniunctiuus* additum est in Vaticano *modus*, quod in Bernensi omnino non legitur. Vterque igitur codex modo plura modo pauciora alter altero praebet.

Lorenzanae p. CIV
(cod. Vat.)

'Quoque' quando nomen subsecutum fuerit, ut puta 'a quoque mulierem tulisti', erit pronomen; quando uerbum ut puta 'tu quoque fac similiter', erit

Hageni p. CCXXVIII seq.
(cod. Bernens.)

'Quoque' quando nomen subsecutum fuerit, ut puta 'a quoque mulierem tulisti', erit pronomen; quando uerbum imperatiui modi subsecutum fuerit, **ut**

Digitized by Google

coniunctio. 'Porro' est nomen; quando pro 'longe' fuerit positum, ut puta 'porro ultra te est sagitta', erit aduerbium loci; quando pro 'autem' aut 'tamen' positum fuerit, ut puta 'porro tu animam tuam liberasti', erit coniunctio.

puta: 'Tu quoque fac simile: sic ars deluditur arte' erit aduerbium, et si dicam: 'quoque hoc caput', erit coniunctio. 'Porro' et nomen est et aduerbium, est et coniunctio. Quomodo? Quando pro 'olus' dixero, erit nomen, quando pro 'autem' aut 'tamen' positum fuerit, ut puta: 'porro tu animam tuam liberasti', hoc est 'tu autem' 'tu tamen animam tuam liberasti', erit coniunctio.

Quas si respexeris lectiones, modo hunc modo illum codicem ampliorem lectionem afferre facile puto concedes. Splendidissimum igitur mihi uidetur offerri exemplum, quo neque Bernensem e Vaticano neque hunc ex illo pendere comprobetur.

§ 3.

Summam intercedere inter utrumque codicem similitudinem.

Lorenzanae p. LXXIV
(cod. Vat.)

In quibus qualitatibus diuiduntur pronomina? Donatus definiuit in duas, id est in finitum et in infinitum; Probus in quattuor, finitum infinitum articulare et possessiuum; Pompeius in uiginti unam, id est finita tria 'ego tu ille', minus quam finita sex 'ipse iste hic is idem et sui', infinita septem 'quis qualis talis quantus tantus quotus et totus'; possessiua quinque 'meus tuus suus noster uester'. (Keil. p. 319.)

Hageni p. CCVII
(cod. Bernens.)

In quibus qualitatibus diuiduntur ista pronomina? A Donato in duabus, finitam et infinitam, a Probo in quattuor, finitam et infinitam, minus quam finitam et possessiuam, a Pompeio in viginti unam: finita tria ego tu ille, infinita VII: quis qualis talis quantus tantus quotus totus, minus quam finita VI: ipse iste hic is idem sui, possessiva V: meus tuus suus noster et uester. Quae potius tenendae sunt? Aut illae duae aut illae plures. Nam qui quattuor adnumerauit, multum praetermisit.

Digitized by Google

Quae in his occurrunt discrepantiae minoris sunt momenti. Primum cum in Bernensi legamus omnibus in locis genus femininum ut *finitam cet.*, in Vaticano uidemus neutrum uocabulo *genus* non adposito, fortasse e lapsu scribentis. Deinde Vaticanus Probum articulare genus afferentem facit, Bernensis uero minus quam finitum. Tum ordo in Pompei uerbis laudatis peruersus est. Verba quae sunt: *nam qui quattuor adnumerauit cet.*, nonne a scriba adiungi potuerunt? Non est igitur cur duas artes fuisse statuamus necesse sit, sed ex omnibus id elucere mihi uidetur, traditionem quam dicunt in Bernensi accuratius seruatam esse quam in Vaticano.

DE PRONOMINE.

Lorenzanae p. LXXII
(cod. Vat.)

Quid est pronomen? Pars orationis quae pro nomine posita tantundem paene significat personamque interdum recipit. Quo modo 'pars orationis'? Pars locutionis. Quo modo 'quae pro nomine posita'? Quae uice nominis posita. Quo modo 'tantundem paene significat'? Quia ipsum paene significat, quod et nomen, sed non plene. Quo modo? Vt puta si dicat mihi quilibet: 'quis scripsit Bucolica?' dico 'Virgilius'. 'Georgica quis?' 'Virgilius'. 'Aeneida?' 'Virgilius'. Ecce saepe repetita locutio proprii nominis fastidium generat. Sed ut fastidium auferatur et ornatus locutionis inducatur, ablato nomine ponimus pronomen, quod paene ipsum significat quod et nomen ut puta

Hageni p. CCVI
(cod. Bernens.)

Quid est pronomen? Pars orationis quae pro nomine posita tantundem paene significat. Quo modo 'pars orationis'? Pars locutionis. Quo modo 'quae pro nomine posita'? Quae uice nominis posita. Quo modo 'tantundem paene significat'? Quia ipsud significat quod et nomen pene set non plene. Quo modo? Si dicam: Virgilius scribsit bocolicam, Virgilius georgicam, Virgilius Aeneidos ecce sepe repetita locutio proprii nominis fastidium generat. Sed ut fastidium auferret et ornatum locutionis induceret nomen positum pronomen, quod paene ipsum significat, quod et nomen velud si dicam Virgilius scribsit bocolicam, ipse georgicam, idem Aeneidos, dum dico nomen et

Digitized by Google

'quis scripsit bucolica?' 'ipse'. 'Aeneida?' idem. dum dico nomen, et res quae factae sunt et quis fecisset ostendo. tultum nomen, positum pronomen, res quae factae sunt ostendo: nam quis eas fecit non ostendo. Sicut si dicas mihi 'quis scripsit etymologias?' dico 'Isidorus'. ecce dictum nomen Isidori, et res quae factae sunt et quis fecisset ostendo; item dicis mihi: 'Synonyma quis?' dico 'ipse'; ecce tultum nomen Isidori, positum pronomen 'ipse', res quae factae sunt ostendo: nam qui eas fecisset, non ostendo. (Keil.p.319.)

res quae factae sunt et quis fecisset ostendo. tultum uero nomen, positum pronomen, res quae factae sunt ostendo. nam quis fecisset non ostendo ac si dicam: quis scribsit hunc librum? dicit mihi quis liber ipse. Dum dicit ipse, res quae factae sunt ostendit. Nam quis fecit, non ostendit, quia nomen eius qui fecit, non dixit.

Hoc quoque loco discrepantiae non tantum ualent, ut alterum artigraphum putemus haec scripsisse: immo uero statuo a librario nomen Isidori omissum esse.

Lorenzanae p. LXXXI
(cod. Vat.)

Et quot 'modi' sunt in uerbo? Septem. Qui? Indicatiuus, imperatiuus, optatiuus, coniunctiuus, infinitus, impersonalis et gerundius. Tantummodo septem modi sunt? Habebatur apud ueteres et octauus. Quomodo dicebant? 'Promissiuus'. Quomodo illud faciebant? Quod nos futurum tempus habemus in indicatiuo modo, illi hoc non pro tempore modi, sed pro modo accipiebant dicentes 'quod actum est aut agitur, unusquisque indicat; quod ad agendum pertinet,

Hageni p. CCXXV
(cod. Bernens.)

Et quot sunt modi in uerbo? VII. Qui? Indicatiuus inperatiuus optatiuus coniunctiuus infinitus inpersonalis et gerundus. Tantundem ipsi septem modi sunt? Habebatur aput ueteres et octauus. Quomodo dicebatur? Promissiuus. Quomodo illum faciebant? Quod nos futurum tempus habemus indicatiuo modo, illi hoc non pro tempore modi, sed pro modo accipiebant. Quare? Dicentes, quod actum est aut agitur, unusquisque indicat; quod ad agendum pertinet, non indi-

Digitized by Google

non indicat sed promittit'. Et quid illis e contrario respondendum est? Non inuenies modum, qui unum tempus habeat; ideo istud pro tempore modi accipiendum est, non pro modo.

cat, sed promittit. Quid illis e contrario respondendum est? Non inuenies modum, qui unum tempus habeat; ideo istud pro tempore modi, non pro modo accipiendum est.

Vaticanus et Bernensis in uniuersum inter se congruunt, lacunae autem medentur Vaticanae Bernensis uerba.

DE VERBO.

Lorenzanae p. LXXXI
(*cod. Vat.*)

Verbum quare dictum est? Eo quod aerem uerberet et aere uerberato ictu linguae sonus exiliat.

Hageni p. CCXXV
(*cod. Bernens.*)

Verbum quare dictum? Eo quod aerem uerberet et aere uerberato ictu linguae sonus exiliat.

Vides eandem lectionem ab utroque codice seruari.

Lorenzanae p. XCVII
(*cod. Vat.*)

Inter 'ne' et 'ne' est discretio? Est. Quae? Si praepositiuum fuerit: 'ne dicas amico tuo uade et reuertere', erit aduerbium prohibentis. Si subiunctivum fuerit, ut quidam dicit: 'putasne bene irasceris super hederam?' erit coniunctio.

Hageni p. CCXXVI
(*cod. Bernens.*)

Inter 'ne' et 'ne' est aliqua discretio? Est. Quomodo? Si praepositiuum fuerit, ut puta: 'ne dicas amico tuo: uade et reuertere', erit aduerbium prohibentis; si subiunctiuum, ut quidam dixit: 'Putasne, bene irasceris super ederam istam', erit coniunctio.

Nulla est inter Vaticanum et Bernensem discrepantia.

Lorenzanae p. LXIX
(*cod. Vat.*)

Tantummodo sex? Est septimus et octauus. Quo modo? Quando ablatiuus singularis sine praepositione profertur ut puta

Hageni p. CCXXII
(*cod. Bernens.*)

Tantundem ipsi sex casus habentur in nomine? Est septimus et octauus. Quando erit septimus? Quando ablatiuus sin-

Digitized by Google

'doctore magistro utor', est septimus casus, quando per accusatiuum casum loquor ut puta 'ad cellam uado', 'ad' praepositio est, 'cellam' accusatiuus casus est: dempta praepositione 'ad' uerso accusatiuo in datiuum facit 'cellae vado', tunc est octauus casus.

gularis sine praepositione profertur, ut puta: 'doctiore magistro utor'. Quando octauus? Quando per accusatiuum casum loquor, ut puta: 'ad cellam uado'. 'Ad' praeqositio, 'cellam' accusatiuus casus: demta praepositione uersum accusatiuum in datiuum et facis 'cellae uado'.

Tractatus ipse Vaticani cum Bernensi congruit. Itaque quae differunt ex eo orta esse putauerim, quod Bernensis scholarum in usum interrogationes interponit.

Lorenzanae p. XCIX
(*cod. Vat.*)

Nomina ciuitatum per qualem casum proferenda sunt? Quando primae et tertiae declinationis fuerint ut puta 'haec Emerita, huius Emeritae, haec Carthago, huius Carthaginis', per datiuum casum proferenda sunt ut puta si interrogatur quis 'ubi es?' respondet per datiuum casum 'Emeritae sum, Carthagini sum'. Quomodo autem, si secundae declinationis fuerint? Per genitiuum casum proferenda sunt ut puta 'hic Toletus, huius Toleti', respondes per genitiuum casum 'Toleti sum'. — Nomina cinitatum cum praepositionibus proferenda sunt an non? Non, quia iis praepositio non anteponitur, quae prouinciis, locis, regionibus adiici solet quemadmodum nomina cinitatum sine praepositionibus proferuntur. Prouin-

Hageni p. CCXXVII
(*cod. Bernens.*)

Nomina ciuitatum per qualem casum proferenda sunt? Quando primae et tertiae declinationis fuerint, ut puta haec Emerita, huius Emeritae, haec Karthago, huius Karthaginis, per datiuum casum proferenda sunt, ut puta, si interrogauerit te quis: 'ubi es'?, responde per datiuum casum: 'Emeritae sum' 'Karthagini sum'. Quando autem secundae declinationis fuerint, per genitiuum casum proferenda sunt: hic Toletus huius Toleti, respondes per genitiuum casum: 'Toleti sum'. Nomina ciuitatum cum praepositionibus proferenda sunt an non? Non, quia praepositio non anteponitur, quae provinciis locis regionibusue adici solent. Quemadmodum nomina ciuitatum sine praepositionibus proferuntur, prouinciarum

Digitized by Google

ciarum, locorum, uillarum atque domorum quomodo proferenda sunt? Cum praepositionibus ut 'de Africa uenio, ad Siciliam pergo, in Italia sum', excepto 'domum consulis eo, rus eo'. Nam 'ad propriam domum' cum praepositione dicendum est 'ad domum meam eo'. Quando ad ciuitatem ambulat quis et interrogatur 'ubi ambulas?', per qualem casum respondere debet? Per accusatiuum ut puta 'Toletum pergo, Caesaraugustam ambulo'. Et quando de ciuitate ad ciuitatem uenit quis et interrogatur 'quo proficisceris?', per qualem casum respondere debet? Per septimum. Quo modo? 'Toleto proficiscor, Barcinona propero.'

atque locorum quomodo proferenda sunt? Cum praepositionibus, ut: 'de Africa uenio', 'ad Siciliam pergo', 'in Italia sum', excepto 'domum consulis eo' et 'rus eo', quod sine praepositione dicendum est. Quando ad ciuitatem ambulat quis et interrogatur aliquis: 'ubi ambulas?', per qualem casum respondere debet? Per accusatiuum, ut puta: 'Toletum pergo' 'Caesaraugustam ambulo'. Et quando de ciuitate ad ciuitatem uenit quis et interrogatur: 'unde proficisceris?', per qualem casum respondere debet? Per septimum. Quomodo? 'Toleto proficiscor' 'Barcinona pergo'.

Codex Vaticanus licet breuiorem afferat lectionem tamen laborat lacunis. Nihilo secius interdum rectam seruauit lectionem ut *solet* pro *solent*. Codex uero Bernensis, si modo uestem qua quasi indutus est illam interrogatiuam detrahas, in uniuersum eisdem uerbis utitur.

Lorenzanae p. CVI
(cod. Vat.)

Aut in contrarium uertit, ut 'natat, innatat'. Quo modo? Tale est 'natat', sicut et 'innatat', unde et dicit quis: 'innatat alnus — Missa Pado'. Quo modo? Alnus genus est arboris, Pado flumen est. Abscissa alnus prae flumine ipso ducebatur.

Hageni p. CCXXIX
(cod. Bernens.)

In contrarium uertit, ut 'natat' 'innatat'. Quomodo? Tale est 'natat' quale est 'innatat'. Da eius exemplum. 'innatat alnus Missa Pado'. Quo modo? Quia abscisa alnus, quod est arboris genus, per flumen ipsud, quod dicitur Padus, ducebatur inriguum.

Digitized by Google

Mirum in modum uterque codex congruit excepta ea re quod Bernensis tractatum explanauit additis imperatiuis. Ex quo, ut taceam de aliis exemplis, elucet Bernensem in scholae usum scriptum fuisse, ut discipulus et interrogaretur et responderet.

§ 4.

Communem utrique codici fontem fuisse.

Lorenzanae p. LXVI (*cod. Vat.*)	*Hageni p. CCXXII* (*cod. Bernens.*)
Da auctoritatem ubi legatur pro hominibus. 'Hic populus dominum dura ceruice negauit'. Da pro arboribus. 'Populus in siluis, abies in montibus altis.'	*Da exemplum congregati populi. 'Hic populus dominum dura ceruice negauit.' Item: 'audi populе meus'. 'Populus in siluis, abies in montibus altis'. Item: 'Subter populum et terebintum, quia bona erat umbra eius'.*

Bernensis etsi haec uerba '*Da pro arboribus*' omittit palmam tamen fert ea re quod in utroque casu duo exempla affert Vaticano unum tantum praebente.

Lorenzanae p. LXXVI (*cod. Vat.*)	*Hageni p. CCXXIV* (*cod. Bernens.*)
Inter 'hic' et 'hic' est discretio? Est. Quo modo? Quando personam significauerit ut puta si dicam 'hic homo uerus', erit pronomen: quando locum ostenderit, ut puta si dicam 'hic locorum spatio', erit aduerbium.	*Inter 'hic' et 'hic' est aliqua discretio an non? Quando personam significauerit, ut puta: 'hic solus inflexit sensus', erit pronomen; quando uero locum, ut si dicam: 'hic illius arma, Hic currus fuit, hoc regnum dea gentibus esse' erit aduerbium loci.*

Bernensis hoc loco et plura affert quam Vaticanus et aliis exemplis utitur. Ex quo concludi potest in communi utriusque fonte seriem exemplorum exstitisse ex qua unusquisque scriptor id quod maxime ei arridebat elegit exemplum. *Spatio* glossema esse non dubito affirmare.

Digitized by Google

Quae duo exempla modo allata si respexerimus, in aperto sane puto esse primum utriusque codicis exstitisse fontem communem, tum seriem fuisse quandam exemplorum in fonte illo communi.

Sed haec hactenus. Satis enim multa exempla attulisse mihi uideor, e quibus appareret media in uia substitisse Hagenum cum Bernensem usum esse Vaticano negaret. Non igitur miraberis quod equidem uia aperta progrediendum ratus communem quendam fontem quaerere statui. Iam cum a Georgio Goetzio u. cl. praeceptore summe uenerando, qui quanta semper humanitate me in litterarum studiis adiuuerit dicere uix possum, certior essem factus in bibliotheca Amploniana Erfurtensi seruari librum quendam antiquissimum,*) in quo inesset Iuliani Toletani ars grammatica, precibus adii Auermannum u. d. bibliothecae praefectum, ut codicis excutiendi opportunitatem mihi praeberet. Qui qua est comitate nulla mora interposita precibus meis obsecutus librum transmisit: ita quam maxima potui diligentia totam artem saepius atque iterum perlustraui et cum eis qui praesto erant codicibus contuli. Liceat igitur ut, quos supra ex utroque codice exscribendos curaui locos, eos Amploniano adhibito denuo tractem. Itaque mecum uelim inspicias lectiones ab hoc libro traditas, quas accuratissime reddidi ita ut, quaecunque ad emendandam codicis scripturam pertinerent, ea in adnotationem relegarem.

---

*) saec. VIII iudice Gundermanno u. d., cf. W. Schumii catal. biblioth. Amplonian. p. 9.

Digitized by Google

II.

Quae ratio intercedat inter codices Vaticanum Bernensem Amplonianum.

§ 1.

Non dissimilem esse Amplonianum Vaticano aut Bernensi.

Ampl. p. 21u. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. XCVII) et Bern. (Hagen. p. CCXXVI), uide supra p. 22.

Inter ne et ne est discretio? est. Quae. si prepositiuum fuerit ne dicas amico tuo uade et reuertere. erit prouerbium prohibentis si subiunctiuum fuerit. ut quidam dicit putas ne bene irasceris super etheram[1] *erit coniunctio.*

Consentit igitur Amplonianus et cum Vaticano et cum Bernensi.

Ampl. p. 27r. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. CVI) et Bern. (Hagen. p. CCXXIX), uide supra p. 24.

Aut in contrarium uertit ut natat innatat. Quomodo? tale est natat sicut innatat. Vnde et dicit quis innatat alnus missa pado. Quomodo? alnus genus est arboris, Pado flumen est. Abscisa alnus pro flumine ipso ducebatur.

Iterum uides Amplonianum et cum Bernensi et cum Vaticano congruere.

Ampl. p. 24u. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. CII) et Bern. (Hagen. p. CCXXVII), uide supra p. 14.

atque. Quomodo. Adque[2] *ut pro me orare iubeas. Ac. Quomodo. ac de re tacitus angit et corde requirit. Ast quomodo. Ast hominem non terra parit non pontus ab undis.*

---

1) *etheram* corrigendum est in *hederam*. ‖ 2) superadscriptum est a manu 2 *t*.

Digitized by Google

Amplonianus congruit cum Bernensi excepto uno tantum loco, quo item ut Vaticanus exemplum a Bernensi plenius allatum praecidit.

Ampl. p. 4r. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. LXVI seq.) et Bern. (Hagen. p. CCV), uide supra p. 14.

Genera. quare dicta? a gignendo. eo quod de masculino et feminino oriantur. Ista alia genera si genera a gignendo dicta. Neutrum et commune quod nec gignit nec gignitur.. cur dictum est genus? Quantum ad rationem pertinet. illa debentur dici genera quae et gignunt et gignuntur. Ista uero quae nec gig[1] *. . . . . nuntur usurpatiua*[2] *dicta sunt genera non proprie.*

Quae sunt genera principalia? masculinum et femininum. Quare dicta principalia? quia ex ipsis oriuntur ista alia genera ipsa et sola sunt. Quare dicta principalia uel sola genera? Principalia dicta quia neutrum et commune ex ipsis oriuntur, sola quia ipsa tantum gignunt et gignuntur. Tota genera naturalia sunt aut sunt ex arte discendentia. Sunt naturalia, sunt et ex arte discendentia.[3] *Quae sunt naturalia? cuius personam considerare possumus ut aut masculum aut feminam. Quae sunt ex arte descedentia?*[4] *cuius naturam considerare non possumus ut est petra terra lignum et cetera. Quid ibidem faciendum est? Auctoritas maiorum quaerenda est. Et ubi auctoritas maiorum genus tibi non demonstrauerit quid faciendum est? Scripsit uarro ad ciceronem potestatis nostrae est illis rebus dare genera quae ex natura genus non habent. Vbi discernis ista genera? In articulis. Quomodo? Quando dico hic pro masculam dico. Quando dico haec pro feminam dico. Quando dico hoc pro neutro dico. Quando dico hic et haec pro commune dico. Quando dico hic et haec et hoc pro omne gen'*[5] *dico.*

Iam uides Amplonianum et Vaticanum inter se congruere si recesseris ab uno loco quo Amplonianus glossema illud *quare dicta principalia — sola sunt* omittit.

1) *nec gig* in margine adscriptum a manu 2: *nunt nec.* In principio sequentis lineae in margine adscriptum a m. 2 *gig.* ‖ 2) corrigendum *usurpatiue.* ‖ 3) *discendentia* corrigitur a m. 2 in *descendentia.* ‖ 4) superadscripta est a m. 2 littera *n.* ‖ 5) *gen':* legendum sine dubio *genere.*

Digitized by Google

Ampl. fol. 8r. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. LXXII) et Bern. (Hagen. p. CCVI), uide supra p. 20.

Quid est pronomen? pars orationis quae pro nomine posita tantundem pene significat personamque interdum recipit. Quomodo pars orationis? pars loquutionis.[1] *Quomodo quae pro nomine posita? quae uice nominis posita. Quomodo tantundem pene significans? Quia ipsud*[2] *pene significat quod et nomen, sed nomen*[3] *plene. Quomodo? ut puta*[4] *si dicat mihi quislibet Quis scripsit bucolicam? dico uirgilius. Georgicam quis? uirgilius. Eneidos? uirgilius. Ecce sepe repetita loquutio proprii nominis fastidium gerat.*[5] *sed ut fastidium auferatur et ornatum loquutionis inducatur tultum nomen ponimus pronomen. quod pene ipsud*[3] *significat quod et nomen. ut puta quis scripsit bucolicam uirgilius Georgicam?*[6] *ipse. eneidos? idem. Dum dico nomen et res quae factę sunt et quis fecisset ostendo. tultum nomen, positum pronomen. res quae factę sunt ostendo: Nam quis eas fecit non ostendo. sicuti si dicas mihi quis scripsit ethimologiam. dico esidorus. Ecce dictum nomen esidori et res quae factae sunt et quis fecisset ostendo; Item dicis mihi sinonimam quis? dico ipse. Ecce tultum nomen esidori, positum pronomen ipse, res que facte sunt ostendo.*

Amplonianus et Vaticanus quam minime inter se distant. Qui codicem Bernensem scripsit, is, ut dicam quod sentio, consulto quaedam mutauit uel omisit, neglegentia motus qui Amplonianum.

Ampl. fol. 3r. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. LXV) et Bern. (Hagen. p. CCV), uide supra p. 7.

Da nomen quod qualitatem significet et conparetur? sanctus sanctior sanctissimus. Da quod quantitatem significet et conparetur. Grandis grandior grandissimus. Da quod qualitatem et quantitatem significet et non comparetur? perfectus. Quare

---

1) *lo||||utionis.* **Superadscripsit m. 2** *c.* ‖ 2) *ipsud. d* **littera rasura deleta superadscriptum est signum litterae** *m.* **Ergo legendum:** *ipsum.* ‖ 3) *sed nomen plene* **sensu caret, lego igitur:** *sed non id plene.* ‖ 4) *puta* **mutatum est a m. 2 in** *potte.* **Seruo lectionem manus 1.** ‖ 5) *gerat.* **Superadscriptum est a m. 2** *ne*, **ita ut legatur** *generat.* ‖ 6) *Georgiam.* **Superadscriptum est a manu 2** *c.*

Digitized by Google

non comparetur[1] *ille dicitur perfectus qui nihil de suo artificio indiget. Iam si dixero perfectior mentius*[2] *de illo priore quia adhuc minus habet de artificio suo. Quomodo significat qualitatem et quantitatem? Vt puta si dicas mihi quid scit audax? dico gramaticus*[3] *est. dicit mihi Quomodo illud scit? dico perfectus est. ecce qualitas. item interrogat*[4] *me dicens scis tu illum? scio. dicit mihi quam magnus est aetate? dico perfectus homo est. ecce quantitas.*

Amplonianus et Vaticanus omnino inter se congruunt.

Ampl. fol. 5u. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. LXIX) et Bern. (Hagen. p. CCXXII), uide supra p. 22.

Quomodo? quando ablatiuus singularis sine prepositione profertur ut puta doctore magistro utor. est septumus casus quando per accusatiuum[5] *loquor. Vt puta ad cellam uado ad prepositio est. Cellam accusatiuus casus est. Dempta prepositione aduerso accusatiuo casu in datiuo*[6] ||||| *celle uado tunc est octauus casus.*

Iam uides Amplonianum ad uerbum idem praebere atque Vaticanum uno omisso uocabulo *casus*.

Ampl. fol. 2u. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. LXIV) et Bern. (Hagen. p. CCXX), uide supra p. 9.

Quare dicta est conparatio quasi exestimatio.[7] *eo quod ad conparandum unum alteri preferamus. id est seniorem iuniori Quomodo. ut puta si stent tres mecum et ego quartus uenit quis et dicit mihi. Isti quid sciunt dico illi notarii sunt dicit mihi. Quomodo hoc sciunt dico illi docti sunt. Dum dico docti sunt ostendo illos aequales esse. Dicit mihi tamen quis melius ab istis hoc scit. Respondeo illi puta doctus est cato. doctior uirgilius.*

---

1) *comparetur* **corrigendum est in** *comparatur*. || 2) *mentius*. **Superadscriptum est a m. 2** *t* **et** *sum*, **ita ut legendum sit** *mentitus sum*. || 3) *gramaticus*. **Omissa est per neglegentiam littera** *m*. || 4) *interrogat*. **Superadscripta est a m. 2 littera** *s*. || 5) *accusatiuo* **correctum est a m. 2 in** *accusatiuum*. || 6) *datiuum*? || 7) *exestimatio* **recte mutatur a m. 2 in** *existimatio*.

Digitized by Google

doctissimus donatus. Dum dico doctus cato ostendo illum aliquid scire. Dum dico doctior uirgilius ostendo eum plus scire de catone. Dum dico doctissimus donatus ostendo eum plus scire a uirgilio et a catone. Et quod gradus sunt in conparatione? tres. Qui positiuus conparatiuus superlatiuus. Positiuus plures formas habet exit in us ut doctus exit in is ut do ||| celis[1] *exit in ens ut prudens exit in er ut niger. Conparatio duas formas habet in ior et ius doctior et doctius. Superlatiuus in singulis generibus binas: simus et rimus sima et rima simum et summum.*[2] *Qualitas et quantitas quot species habet? quattuor. ab animo. a corpore a fortuna a mensura. ab animo ut prudens. A corpore ut candidus. A fortuna ut diuis*[3] *a mensura ut longus. tantundem ipsi tres apud ueteres? habebatur ut quartus? Quomodo dicebatur? prelatiuus. Quomodo faciebant ipsam conparationem? positiuus ut doctus conparatiuus tam doctus prelatiuus ut doctior superlatiuus ut doctissimus. Quare hoc ita faciebant? dicentes unusquisque quantum dat tantum debet emere. Ideo faciebant conparatiua simile positiuo. nescientis quod illud tam aduerbium erat conparantis quod in se habet significationem augentis. Quid ibi faciebant? Vitium quale uitium? tautologia. Quid est tautologia? eiusdem dicti repetitio uitiosa ut egomet ipse. nam quod dicebant tam doctus et doctior tamquam si dicerent doctior.*

Amplonianus, in quem per errorem inrepsisse puto haec uerba: *Qualitas et quantitas ..... ut longus,* eisdem utitur nominibus propriis ac Vaticanus, eisdem laborat malis, eisdem excellit bonis.

Ampl. fol. 12u. coll. cum Vatic. (Lorenz. LXXXI) et Bern. (Hagen. p. CCXXV), uide supra p. 22.

Verbum quare dictum est et quod aerem uerberet et aere[4] *uerberato ictu lingue sonus exiliet.*

Vides Amplonianum omnino congruere et cum Vaticano et cum Bernensi.

---

1) *celis* a m. 2 mutatum in *ilis*, ita ut legatur *docilis*. ‖ 2) superadscriptum est recte a m. 2 *rimum*. ‖ 3) recte mutata est *i* littera a m. 2 in *e*, ita ut legatur *diues*. ‖ 4) *aerem* littera *m* rasura deleta.

Digitized by Google

Ampl. fol. 13r. et u. coll. cum Vatic. (Lorenz. LXXXI) et Bern. (Hagen. CCXXV), uide supra p. 21.

Et quod sunt modi in uerbo? septem. qui. indicatiuus imperatiuus optatiuus coniunctiuus infinitus impersonalis et gerundus. tantundem isti septem modi sunt habebatur apud ueteres et octauus. Quomodo dicebatur promassiuus.[1] *quomodo illum faciebant. quod nos futurum tempus habemus. in indicatiuo modo illi hoc non pro tempore modi sed pro modo accipiebant. Dicentes quod actum est aut agitur unus quisque indicat. quod ad agendum pertinet non indicat sed promittit. Et quid illi e contrario respondendum est non inuenies modum qui unum tempus habeat. Ideo istud pro tempore modi accipiendum est non pro modo.*

Amplonianus eandem fere lectionem ac Bernensis proferens quae in Vaticani textu desiderantur supplet.

§ 2.

Corrigi aliis locis alterum, alterum aliis ab Amploniano.

Ampl. fol. 21u. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. XCVI) et Bern. (Hagen. p. CCXXVI), uide supra p. 12.

Quare dicit secum est quia cum aliis pro de fit[2] *et secum est et cum aliis. qui tantum sibi? secum est non cum aliis. Da eius exemplum; quia aliis prodesse non potuit. saltim secum fit.*

In Amploniano ut recte legitur *sibi*, ita non legitur Vaticani falsum illud *quia qui*, sed *quia aliis*, ita ut per errorem *a* litteram ab *aliis* ad *qui* lapsam esse putem. Certe autem Amplonianus praestat Vaticano.

Ampl. fol. 21u. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. XCVI) et Bern. (Hagen. p. CCXXVI), uide supra p. 8.

uocandi ut eus. Quomodo? sic antea consuetudo uocandi erat quando unus uocabat alterum, ut diceret eus tu. Vnde scribit eus tu. In que nam[3] *parte est hic homo Dei?*

1) *promassiuus* peruerse mutatum est a m. 2; recte scripsit m. 1 *promissiuus.* || 2) *pro de fit.* Sine dubio, cum exstet forma *prode est*, scriba ex suo ingenio finxit *cum prodesit*, calami autem lapsu mutatum esse puto *s* in *f.* || 3) *que nam* corrigendum est in *quanam.*

Digitized by Google

Amplonianus quod Vaticani *heu heu* illud corrigit in *eus tu* meliorem praebet lectionem.

Ampl. fol. 3u. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. LXV seq.) et Bern. (Hagen. p. CCXXI), uide supra p. 9.

Conparatiuus gradus cui casui seruit. ablatiuo sine prepositione dicimus enim doctior illo. Quomodo ablat̄ sine prepositione[1] ‖ *puta si dicam contra regulam cum perpositione*[2] *doctior uirgilius a catone, ostendo ut quod uirgilius scit a catone hoc didicisset. Nam si dixero secundum regulam sine prepositione doctior cato uirgilio, ostendo catonem plus scire de uirgilio. Ipse conparatiuus gradus quibus casibus deseruit? tribus. quibus? sexto septimo et nominatiuo interposita quam. Quomodo? ut puta si dicam cum perprositione doctior plato ab aristotele est sextus casus. si dico sine prepositione doctior magistro utor est septimus casus. Si dico doctior esidorus quam antonius tunc deseruit nominatiuo interposita quam.*

In Amploniano omittuntur uerba *cum praepositione;* idem in reliquis, cum omnino congruat cum Vaticano, uno tamen loco lectionem Vaticani peruersam *Stoico* optime corrigit in *si dico.*

Ampl. fol. 10r. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. LXXVI) et Bern. (Hagen. p. CCXXIV), uide supra p. 25.

Inter hic et hic est discretio? est. quomodo? Quando personam significauerit. ut puta si dicam hic homo uerus. erit pronomen. Quando locum ostenderit ut puta si dicam hic locorum pacti erit aduerbium loci.

Amplonianus quamquam in uniuersum cum Vaticano congruit, tamen exemplum allatum glossemate liberat quod scribit *pacti.*

---

1) Omissum est in exeunte linea *ut.* — *ablat̄* legendum est: *ablatiuus.* ‖ 2) *perpositione.* Deletae sunt a m. 2 litterae *er* superadscripta uirgula quae significat litteras *ae.* Legendum igitur: *praepositione.*

Digitized by Google

Ampl. fol. 13r. et u. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. LXXXII) et Bern. (Hagen. p. CCXXV), uide supra p. 18.

Coniunctiuus modus cur dictus est? eo quod coniungat sibi uerba indicatiui modi. Quomodo? ut puta cum legam. cur me dicis silere. Vbi sunt ista uerba indicatiui modi? dico dicis dicit. uerba sunt indicatiui modi et quia dicitur eo quod propterea dicatur coniunctiuus. Quare cum particulam aduerbii adiunctam habeat in capite. Si propterea diceretur coniuntiuus ergo et optatiuus modus coniunctiuus delebat dici.

Amplonianus licet omittat *tu* et *dico dicis dicit*, tamen ut Vaticanus praebet uocabulum *modus*, quod in Bernensi desideratur, et uocabulo *debebat* corrigit quae leguntur in Vaticano et Bernensi: *deberetur* et *debebatur*.

§ 3.

Corrigi interdum Amplonianum a Vaticano uel a Bernensi.

Ampl. fol. 13u. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. LXXXII) et Bern. (Hagen. p. CCXXV), uide supra.

Ipse Amplonianus corrigitur a Vaticano et a Bernensi ita ut pro *ista* ab his legatur *ipsa*.

Lorenzanae p. LXXVI (cod. Vat.)	*Hageni p. CCXXIII* (cod. Bernens.)
Quare dicitur praepositiuum? Quia praeponitur et non subiungitur. 'hic magister facit', non 'magister hic'. Et quare dicit 'magister hic'? Vitium necessitate hoc posuit, non regulariter.	*Quare dicitur praepositiuum? Quia praeponitur et non subiungitur: 'hic magister facit', non 'magister hic'. Et quia dicitur: 'magister hic uirtutum', necessitate metri dictum est, non regulariter.*

Vocabula *dicit* et paullo post *uitium* non dubito quin e corruptela sint scripta in codice Vaticano, quia recto sensu omnino carent. Corrigenda certe sunt in *dicitur* et in *uirtutum*. Omissum porro est post uocabulum *necessitate*, quaenam sit haec necessitas. Recte addit Bernensis *necessitas metri*. Hoc igitur

Digitized by Google

loco non dubium uidetur quin Bernensis meliorem lectionem afferat Vaticano, licet ipse Bernensis uitio non careat *quia* uocabulum inane ponens.

Ampl. fol. 10r. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. LXXVI) et Bern. (Hagen. p. CCXXIII), uide supra p. 34.

Quare dicitur prepositiuum? quia preponuntur et non subiunguntur hic magister facit non magister hic. Et quia dicit magister hic uirtutium necessitate hoc posuit non regulariter.

Amplonianus in uniuersum Vaticani tenorem seruans utriusque et uitia et emendationes habet.

§ 4.

Communem exstitisse et Vaticani et Bernensis et Amploniani fontem.

Ampl. fol. 8u. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. LXXIV) et Bern. (Hagen. p. CCVII), uide supra. p. 19.

in quibus qualitatibus diuiduntur pronomina? Donatus definiuit[1] *in duas id est in finitum et in infinitum. Probus in quatuor, finitum infinitum articulare et possessiuum. Pompeius in viginti una id est finita tria ego tu ille. Minus quam finita sex, ipse iste hic isdem i et sui infinita septem, Quis qualis talis quantus tantus quotus et totus; possessiua quinque meus tuus suus noster et uester. Quid potius tenendum est aut illa dua pronomina aut illa multa? Nam qui quattuor qualitates pron*[2] *dixit multum praetermisit.*

Amplonianus, licet eisdem corruptelis laboret ac Vaticanus, tamen plenior est et cum Bernensi congruit ita ut ea quoque, quae in Bernensi adiuncta sunt, in Amploniano inueniantur.

Ampl. fol. 3u. et 4r. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. LXVI) et Bern. (Hagen. p. CCXXII), uide supra p. 25.

Da auctoritatem ubi legatur pro homines: hic populus dominum dura ceruice negauit. Da pro arbores. populus in siluis abies in montibus altis.

1) primum scripsit m. 1 *definibit*, quod rasura adhibita correxit in *definiuit*. || 2) *pron.* Superadscriptum est a m. 2 *minis*.

Digitized by Google

Ex ea re, quod Amplonianus ad uerbum congruit cum Vaticano, inde certissima ratione adhibita hos duos de quibus disputamus codices e communi quodam fonte profectos esse concludi potest.

Ampl. fol. 25 u. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. CIV) et Bern. (Hag. p. CCXXVIII seq.), uide supra p. 25.

Quoque quando nomen subsecutum fuerit ut puta[1] *a quoque muliere*[2] *tulisti erit*[3] *pronomen. erit pronomen quando uerbum ut puta*[4] *quoque fac simul s*[5] *erit coniunctio. Porro est nomen. Et aduerbium est et coniunctio. Quando pro olus dixero erit nomen. Quando pro longe fuerit positiuum. ut puta porro ultra te est sagitta erit aduerbium loci. Quando pro autem aut tamen positum fuerit ut puta porro tu animam tuam liberasti? erit coniunctio.*

Vides igitur neque Amplonianum e Bernensi uel Vaticano neque hos ex Amploniano originem ducere, unde apparet fontem quendam his tribus communem exstitisse.

Ampl. fol. 9r. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. LXXX) et Bern. (Hagen. p. CCVIII), uide supra p. 16.

Figurę pronominum quot sunt? duę quae? simplex ut quis composita ut quisquis. Quis monosillabum est et est simplicis figurę[6] *pronomen. Quisquis ex duobus pronominibus unum pronomen compositum efficit et est figurę compositę.*[7] [*fol. 12r.*] *quisquis. quis pronomen compositum. quisnam quis pronomen est nam coniunctio est et est compositum pronomen ex integro et corrupto. Quisnam masculini generis est aut feminini. apud ueteres commune genus habebatur. Da eius exemplum quisnam es tu mulier que metam in consueto nuncupas nomen. quispiam: quis pronomen est, nam coniunctio est et est ex duobus integris* ‖[8] *num*

1) *ut puta* peruerse mutatum est a m. 2 in *ut pote.* ‖ 2) *muliere.* Superadscriptum est a m. 2 *uiro.* Inepte. ‖ 3) *erit* pronomen a m. 2 expunctum est, recte; dittographia enim est. ‖ 4) ante *quoque* recte insertum est a m. 2 *tu.* ‖ 5) *simuls (r?)* cum in exeunte linea sit scriptum non est cur non sequamur Bernensem in quo legimus: *simile.* ‖ 6) *figurę:* correctum est *e* a m. 2 in *ae.* ‖ 7) *figurę compositę*, cf. adn. 6. ‖ 8) *integris* ‖ pergitur omissa littera *u;* legendum est *unum.*

Digitized by Google

pronomen conpositum. cuius generis est communis quispiam uir quispiam mulier aliquid ex cetera. quomodo [fol. 12 u.] declinanda sunt ista pronominatiua quod ex duobus nominatiuis conpositum fuerit. ut est quis quis ambo nominatiuo inflectendi erunt. Quomodo. quisquis cuius cuius cuicui quemquem a quo a quo. Quando ex nominatiuo et quolibet alio casu constauerit ille nominatiuus inflectendus erit. et ille alter sic stabit sicut est. Quispiam cuiuspiam cuipiam quempiam quopiam a quopiam certa talia pronomina si declinanda sunt.

Vt Vaticanus ita Amplonianus ut abrumpat disputationem formula utitur quae est '*aliquid et cetera*', cum idem ut Bernensis tractatum seruet a codice Vaticano omissum in sequentibus uerbis. Ex quo efficitur Amplonianum hoc loco diligentissime, minus diligenter Bernensem, neglegentissime Vaticanum agere, qua eadem re comprobatur eundem fontem et Bernensi et Vaticano et Amploniano praesto fuisse, quo unus quisque suo more modo diligenter modo neglegenter sit usus.

Ampl. fol. 25 r. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. CIII) et Bern. (Hagen. p. CCXXVIII), uide supra p. 11.

aut est coniunctio. est et aduerbium. Quando pronomen fuerit positiuum ut puta[1] *coruus aut*[2] *procul residens id est non longe erat*[3] *aduerbium negandi et cum aspiratione adscribendum. Quando dixero aut ego aut tu erit coniunctio disiunctiuę potestatis et sine aspiratione scribendum ue est coniunctio est et prepositio.*[4] *Quando fuerit prepositiuum et cum commotione animi dictum ut puta ue mihi mater mea erit interiectio dolentis; quando fuerit subiunctiuum ut puta setis*[5] ‖ ..... *uel semper coniunctio est. ne interdum coniunctio est interdum aduerbium. Quando prepositiuum fuerit ut puta ne facias omne malum erit aduerbium prohibentis. Quando subiunctiuum fuerit ut puta tantane uos tenuit generis fiducia uestri? erit coniunctio. nec et neque semper*

1) *ut puta* male mutatum est a m. 2 in: *ut pote.* ‖ 2) *aut.* Superadscriptum est a m. 2 *h . . . d*, ita ut legatur: *haud.* ‖ 3) correctum est a m. 2 in *erit.* ‖ 4) ante *et* inscriptum est a m. 2: *et*; deletum est: *et prepositio*; superadscriptum est: *interiectio.* ‖ 5) post *setis* a m. 2 in margine scriptum est: *ue;* in insequenti linea a m. 2 insertum *tectatis.*

Digitized by Google

coniunctiones sunt. Interrogas. Quare dicuntur disiunctiue? Respondeo. Quia unum e duobus aliquid agere debere ostendit. aut quomodo? Respondeo aut ego aut tu eamus ad forum Interrogas Ve quomodo? Respondeo setis[1] *tectis spida et lanugine Interrogas Vel quomodo? tu si non uadis illuc uel ego uadam; ne quomodo? Respondeo si tu non uis nec ego faciam quicquam.*

Amplonianus omittit *et interiectio. Quomodo? — Quomodo* a Bernensi in usum scholarum additum uidetur esse. Ordo autem tractatus in Amploniano ut in Vaticano turbatus est, item uerba illa de coniunctione *ne* in utriusque lectionem postea inserta sunt, ut taceam grauissimum illud uitium *pronomen fuerit positiuum* utrique commune. — Ex eo autem quod legimus in Amploniano *et est*, in Vaticano *est*, in Bernensi *aut*, his tribus communem fontem fuisse intellegimus. Quem tamen fontem non ipsum fuisse Amplonianum uel inde appareret, quod exemplum *aut ego, aut tu* ab Amploniano non totum affertur, a Vaticano integrum. Huc accedit quod *praepositio* uitium est tribus his codicibus commune. — Quid igitur? Nonne meo iure tibi uideor contendere trium horum codicum adeo non ab altero alterum pendere ut a communi fonte cogamur eos repetere?

Ampl. fol. 5u. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. LXVIII) et Bern. (Hagen. p. CCVII), uide supra p. 7.

Genitiuus cur dictus. a genere querendo ut puta si interroget me quis. cuius filius est Etberius? respondeo illi per genitiuum casum iohannis. Quomodo uel cuius libet rem significando. puta si interroges me cuius ecus? Respondeo tibi per genitiuum casum Domni eruigii regis.

Amplonianus et Vaticanus eadem uerba seruant. Ex eo autem, quod in Amploniano legitur nomen *Eruigii regis Gothorum*, efficitur errasse Hagenum p. CCVII cum diceret nomen *Eruigii* in communi et Vaticani et Bernensis fonte non fuisse. Immo uero in communi fonte positum nomen Eruigii Bernensis suo Marte mihi uidetur omisisse.

1) superadscriptum est a m. 2 *ue* et *ri*, ita ut legatur: *setisue* et *spirida*.

Digitized by Google

§ 5.

Quanam necessitate codices inter se coniuncti sint.

Ampl. fol. 10r. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. LXXVI) et Bern. (Hagen. p. CCXXIV), uide supra p. 33.

Respicias uelim quae adnotaui p. 33: satis mihi uidetur causae esse cur ad communem fontem Amplonianum proxime accessisse putemus.

Ampl. fol. 13u. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. LXXXII) et Bern. (Hagen. p. CCXXV), uide supra p. 34.

Quod ad exemplum si in memoriam reuocaueris quae attuli p. 34 certe adsentieris mihi conicienti neutrum codicem ex altero pendere.

Ampl. fol. 22u. et 23r. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. XCIX) et Bern. (Hagen. p. CCXXVII), uide supra p. 23.

Nomina ciuitatum per quem casum proferenda sunt? Quando primę et tertiae declinationis fuerint ut puta haec emereta huius emeretę haec cartago huius cartaginis. per datiuum casum proferenda sunt ut puta[1] *si interrogatus quis ubi es? respondit*[2] *per datiuum casum emerete sum, cartagini sum. Quando autem secunde declinationis fuerint per genitiuum casum proferenda sunt. Vt puta*[3] *hic toletus huius toleti. Respondes per genitiuum* [*fol. 23r.*] *casum tolleti sum. Nomina cinitatum cum prepositionibus proferenda sunt an non? quia*[4] *his prepositio non anteponitur. Quae prouinciis locis regionibus adici solent; Quem ad modum nomina ciuitatum sine prepositionibus proferuntur? provintiarum locorum uillarum atque domorum. Quomodo proferenda sunt? cum prepositionibus. Ut de a* ‖[5] *africam uenio ad siciliam pergo in italia sum excepto domum consulis eo et rus eo. Nam ad propriam domum cum prepositione dicendum est ad domum meam eo.*

1) *ut puta* peruerse mutatum est a m. 2 in *ut pote.* ‖ 2) *respondit* correctum est a m. 2 in *respondet.* ‖ 3) *ut puta*, cfr. adn. 1. ‖ 4) ante *quia* recte insertum est a m. 2 *non.* ‖ 5) in principio nouae lineae *a* littera a m. 2 repetita est, ita ut legatur *de a africam*, peruerse.

Digitized by Google

Quando ad ciuitatem ambulat quis et interrogatur ubi ambulas per qualem casum respondere debeo? per accusatiuum ut puta toletum. Pergo caesaragustam ambulo. Et quando de ciuitate ad ciuitatem uenit quis et interrogatur quo proficisceris respondere debet per septimum. Quomodo? toleto proficisco barcinona propero.

Amplonianus et Vaticanus uerba *si interrogatur* seruant, cum Bernensis ipsam interrogationem afferat; item plura habent quam Bernensis uerbis *uillarum* q. s. et *ad propriam domum* additis. Amplonianus uero et Bernensis uterque laborat falso illo *solent*. Omissum porro est in Amploniano *quod sine praepositione dicendum est*, quae uerba Bernensis seruat. Ex quo apparet Amplonianum et Vaticanum intima necessitate inter se coniunctos in rebus tractandis ampliorem praebere lectionem Bernensi. Communia uero sunt utrique deprauata uerba.

Ampl. fol. 11r. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. LXXVII seq.) et Bern. (Hagen. p. CCXXIV), uide supra p. 13.

Vnde et dicit: in quis error inest. nec spes est certa laborum. et pro eo quod ueteres faciebant ablatiuum in i a qui facimus genetiuum pluralem in ium quium. datiuum et ablatiuum pluralis in bus. quibus, quibus das et a quibus tulisti. Et unde colligebant ueteres regulam? ablatiuo casu singulari quomodo? quando illis datur casus singularis i littera terminabatur. Faciebant datiuum et ablatiuum plurales in bus: quibus das et a quibus tulisti. et unde colligebant ueteres regulam? a datiuo casu singulari. quomodo? quando illis datiuus casus singularis littera terminabatur? faciebant datiuum et ablatiuum plurales in bus quibus das et a quibus tulisti? Cur Donatus uetere (m?) loquutione (m?) usitatus est? propter absurditatem et usitationem loquutionis. Quia dicit quis sic noua tenere debemus ne uetera praetermittamus. et donatus hanc regulam obseruans quia secundum quod ablatiuus singularis o littera terminatur, Datiuus et ablatiuus plurales in loquutione plus absurditer quam ornate pronuntiari uidentur, propter euphoniam ueterem adsecutus est regulam.

Digitized by Google

In aperto sane est Amplonianum et Vaticanum minime inter se distare exceptis leuibus quibusdam calami lapsibus. Propius igitur Amplonianus et Vaticanus ad fontem accedere uidentur quam Bernensis excellens ille lectione decurtata.

Ampl. fol. 9r. coll. cum Vatic. (Lorenz. LXXIV) et Bern. (Hagen. p. CCXXIII), uide supra p. 17.

Quomodo erit istud quae scribendum? Quando prepositiuum fuerit? Si dicam quae anima?[1] *erit pronomen generis feminini et cum diptogon*[2] *conscribendum. Quando subiunctiuum fuerit ut si dicam locutus*[3] *est dominus erit coniunctio et sine diptongon*[4] *scribendum.*

Omnibus fere locis codex Amplonianus ad afferendum exemplum quoddam utitur his uerbis '*ut puta si dicam*', Bernensis semper '*ut puta*', Vaticanus '*si dicam*'. Vides igitur hoc loco codicem Amplonianum proxime abesse a communi fonte. Adde quod idem liber recte affert *prepositiuum* et *locutusque*. Sed unde *dixitque* illud codicis Bernensis fluxisse tu putas? Si me audis a uerbis *si dicam* ab ipso adhibitis.

Ampl. fol. 10r. coll. cum Vatic. (Lorenz. p. LXXVI) et Bern. (Hagen. p. CCXXIV), uide supra p. 25.

Inter hic et hic est discretio? est. quomodo? Quando personam significauerit, ut puta si dicam hic homo uerus erit pronomen. Quando locum ostenderit ut puta si dicam hic locorum pacti erit aduerbium loci.

Respicias si placet quae adnotaui ad exemplum modo allatum pp. 25 et 33. In aperto iam existimo esse hoc quoque loco Amplonianum ad communem fontem proxime accedere.

Cum his quae exposui conferas uelim exempla capitis alterius quarta paragrapho composita, quibus docui trium horum codicum communem quendam exstitisse fontem. Qui fons sitne

1) post uocabulum *anima* signum quo significatur interrogatio delendum esse censeo ut leuissime scriptum. || 2) *diptogon* corrigendum est in *diphthongon*. || 3) *locutus*. Superadscriptum est a m. 2: *que*. || 4) *diptongon* cfr. adn. 2.

Digitized by Google

praesto in ipso codice Amploniano quaeritur. Quod ita se habere equidem nego, cum Amploniani ipsius menda quaedam a duobus illis Bernensi et Vaticano tollantur (p. 34), licet proxime eum accedere ad librum archetypum facile puto concedas, id quod abunde mihi uidetur comprobari loco illo quem Hagenus tractat p. CCVIII. Nam additamentum illud, quod ex ipsius Vaticani artigraphi ingenio fluxisse, non ad communem quendam fontem esse referendum censet Hagenus, idem legis seruatum in Amploniano, ut non possis quin ab archetypo libro ipso id repetas. Vnde simul hoc concludo, fieri non potuisse ut, qui Vaticanum scripsit, idem exscriberet Bernensem. Iam si computauerimus primum Hageno iudice Bernensis lectiones non raro praestare Vaticano, tum utrumque librum non continuo ex fonte communi fluxisse, post Amplonianum artiore uinculo contineri cum Vaticano quam Vaticanum cum Bernensi — ad hunc te adductum senties librorum propinquitatis conspectum:



Digitized by Google

III.

De altera Amploniani parte.

Res ita fert, ut de ipsius codicis Amploniani condicione iam sit disserendum. Atque qui exempla supra allata perlustrauerit, eum memoria tenere puto textum quem dicunt foliorum 1—28 u. concinere cum lectione Vaticani, foliorum 29 r.—44 r. cum Bernensi. Sed inde a f. 46 ad f. 69 et a f. 121 ad f. 124 tractatus quidam praebetur grammaticalis, quem neglegere minime decet. Qui qualis sit collatis Amploniani uerbis et cum ipsius prioris partis Amploniani uerbis et cum Isidori Hispalensis Etymologiarum locis non paucis elucere puto.

§ 1.

In tertia parte easdem fere res tractari atque in partibus prima et altera

docet tabula inscriptionum haec:

Prioris et alterius	*tertiae partis*
De Pronomine	*De Pronomine*
De Aduerbio	*De Modis*
De Praepositione	
De Interiectione	*De Interiectione*
De Littera	*De Litteris*
De Sillaba	*De Sillabis*
De finalibus Sillabis	*De Inuentoribus Litterarum*
De Pronomine	
De Aduerbio	
De Copulatiua Coniunctione	*De Coniunctione*
De Praepositione	
De Interiectione	
De Pedibus	*De Pedibus*
De Accentibus	*De Accentibus*
De Posituris	*De Posituris.*

Digitized by Google

§ 2.

In eisdem rebus tractandis a tertia parte interdum eadem fere uerba adhibentur atque ab aliis partibus.

Amplon. fol. 29 r.

Moyses prius ebreas exaravit litteras mente fenices sagaci condiderunt atticas quas latini scriptitamus edidit nicostrata. Abraham syras et idem repperit caldaicas. Isis arte non minori protulit aegyptias. Gulfila promisit gecarum quas uidemus ultimas.

Amplon. fol. 58 r.

Moyses primum hebreas exarabit litteras mente. fenices sagaci condiderunt atticas Quas latini scriptitamus[1] edidit nicostrata. Abraham siras et idem repperit caldaicas Isis arte non minori protulit aegyptias. Gulfila promisit gecarum quas uidemus ultimas.

§ 3.

Nihilo minus hic illic in breuius contracta est partis tertiae disputatio.

Amplon. fol. 15 r.

pirricius[2] dictus est a pirro filio acillis[3] eo quod ad funus patris armatus eodem metro luserit siue quia interempto erupide eodem metro saltabit[4] armatus. mentis gaudia corporis exultatione confirmans. Vnde[5] et perricia[6] inuenta saltatio dicitur apud grecos et pes ipse pirricius[7] nomen accepit ab actu et cautione pirri.

Amplon. fol 58 u.

Pirricius[2] dictus a pirro filio acillis[3] eo quod ad funus patris armatus eodem metro saltauerit. Vnde et pirricia inuenta apud grecos saltatio dicitur.

---

1) *scriptitamus.* Legitur in codice *iscriptamus*, superadscriptum est *ti*, ita ut omissa littera *i* legamus *scriptitamus.* ‖ 2) *pirricius.* Superadscriptum est a manu 2 *h.* ‖ 3) *acillis.* Superadscriptum est a manu 2 *h.* ‖ 4) *saltabit.* Superadscriptum est a manu 2 *u.* ‖ 5) a m. 2 corr. in *inde.* ‖ 6) *perricia.* Superadscriptum est a manu 1 *h.* ‖ 7) *pirricius.* Superadscriptum est a manu 2 *h.*

Digitized by Google

§ 4.

Contra aliis locis plura praebentur in parte tertia quam aliis in partibus.

